



Orlandus natus est anno 1530 Bergæ in Hãno
 nia. Postea septem annorum puer ad literas
 perductus est, & post sesquiannum ad musicam ad-
 hibitus, qua breui tempore cõprehensa puellus uo-
 cis claritate mirè commendabatur. unde inter sòda-
 les symphoniacos pueros uiuēs, ex schola ter furto
 sublatus, atq; bis diligenti honestorum parentũ cu-
 ra reductus est: tertio uerò scholam nō repetijt, sed
 cum Ferdinando Gonzaga prorege Sicilię, tũ tem-
 poris Cæsarearum copiarum apud Sãtdefiderium
 duce, manere consensit. Itaq; soluta Belgica expedi-
 tione, cum eo discessit, & partim in Sicilia, partim
 Mediolani eidem conuixit, donec post sexennium
 uocem, ut fit, mutare cœpisset. Ergo 18 anno ætatis à Constantino Castrioto
 Neapolim ductus, ubi cum Marchione de la Terza tribus fortè annis perdu-
 rauit. Inde Romam uenit, ac hospes archiepiscopi Florentini fuit 6 mensibus,
 donec præficeretur ad S. Ioannem Lateranēsem uniuerso musico facello, Ro-
 me longè celeberrimo. Vnde postea peractò biennio, cum ob morbos paren-
 tum in patriã reuocaretur, eos autem serius aduentās mortuos reperiret, cum
 nobile uiro Iulio Cæsare Brancaccio Musices cultore, primùm in Angliã, de-
 mum in Galliam, eius quoq; uidendi gratia, profectus est. tandem inde reuer-
 sus Antuerpiã mansit duobus annis, inter uiros ornatissimos, doctissimos,
 & nobilissimos, quos undiq; in Musicis excitauit, à quibus etiam summè ada-
 matus ueneratusq; fuit.